

cis studiosi. Cæterum, si omnia constarent, illud non esse
negligendum, quod Aëstensis Hercules præter excellentes
ipsius in re militari virtutes, duorum potentissimorum Re-
gum pernecessarius esset: procul dubio alienis illum stimulis
incitatum, non sua sponte ea jampridem moliri: constare ad
id, multos Italiæ Principes cum eo fœdus percussisse. Quod
quum ita esset, viderent illi, qui bellum tantopere cupie-
bant, ne magis clypeo, quam gladio indigerent. Ad ea
maxima pars Senatus, ut quisque ferocissimus erat, recla-
mare: Non esse ob ea, quæ a timidis afferrentur, ulte-
rius injuriam ferendam: insultaturos unius exemplo alios
finitimos Principes, immo de industria quæsituros, qua
ratione Veneti imperii fines inquietare possint: Nec veren-
dum esse, ne civitas non omne belli onus sustinere valeat;
quippe quæ jam diu armis assueta, ne concessum quidem
ocium sit latura. Esse præterea Dei benignitate Venetas
opes tam validas, ut quamvis Othomanico bello ingens
auri pondus effusum, adbuc longe majus ac pene im-
mensum superesset, quo vel gravissimum bellum, ac longe
gravius eo, quo nuper defuncti essent, ex imperii dignitate
confici posset. Patere ad hæc civibus longe lateque maria
ad mercaturam; vectigaliaque in dies & portoria meliora
fieri. Quid quod multi ex senatorio ordine adessent, qui
se magnam vim auri ad usum Republicæ in medium
collaturos pollicerentur; quibus appareret stipendum ad
quantumvis magnos exercitus alendos non defuturum. Nec
Pannoniæ Regis motus aliquo modo formidari oportere:
qui præter quam quod cum Fœderico Imperatore perpe-
tuum gereret bellum, Turcos quoque infestissimos haberet,
qui ejus fines incursare, popularique non desinerent: satis
superque illum habiturum, si adversus potentissimos hostes
Pannoniæ fines tueri possit. Nec multo plus illo Ferdinan-
dum metui debere: quippe qui vix bene adbuc ab Hidrun-
tina respiret obsidione, qua pluribus mensibus terra mari-
que occupatus, post ingentem auri hominumque jacturam,
littoralem urbem a barbaris ægre recepisset: Infestaturam
ad id Venetam classem maritimam Appuliæ & Calabriæ
oram: